DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE PUERPERARUM.

AUCTORE GULIELMO B. THORNTON.

MULTI varios morbos, utpote maximè horribiles, puerperis infestissimos, et ingentem vim mortalium quotidie abripientes locaverunt. Varii diversos morbos hanc palmam tulisse dixerunt; variisque affectionibus morbosis tribuerunt. Ego vero palmam puerperarum peritonitidi tribui volo; morbo sanè saevissimo, cui puerperae maximè obnoxiae sunt, et medicorum attentionem quam maximè sibi vindican-

te, tum ob saevitiam, quâ per generis humani partem pulcherrimam amabilissimamque grassatur, cùm ob tenebras densamque caliginem quibus magnopere offunditur ; nam inquit White, " Scarce any two authors have de-" scribed this fever alike ;" ut etiam praeclarus Burserius in verbis sequentibus : " De hujusce " morbi naturâ, causis et curatione, tantam in-" venio inter auctores dissentionem, tantam opi-" nionum varietatem, ut, cui tyrones fidem ha-" beant, quem, ut ducem, sibi proponant, decer-" ni minimè possit." Nonnulli hunc morbum inflammatorium reputârunt ; alii typhum modificatum ; alii autem ex his duobus compositum. Plerumque febris puerperarum in urbibus, et praesertim in nosocomiis, frequentior et funestior est, quàm in rure aedibusque privatis. Attamen, cùm in quibusdam regionibus epidemicè grassatur, pede aequè funesto rus ac urbem pervagari videtur, nullique ordini puerperarum parcit. Hic enim morbus

——" aequo pulsat pede pauperum tabernas
" Regumque turres."

Omnibus temperamentis, fortibus et debili-

bus, inflammatoriis et valde excitabilibus, aetatibus omnibus, unum aequè ac tres foetus in lucem proferentibus, abortum patientibus interdum vel foetum praematurè enitentibus, pariter atque uterum rectè gerentibus, facilè etiam ac difficilè prolem parientibus, inimicus est. A multis observatum fuit auctoribus, aërem hunc morbum non moderari; et confirmatum nobis videtur, omnibus anni tempestatibus, humidis aequè ac siccis, exoriri.

SYMPTOMATA.

Die secundo vel tertio post partum plerumque oritur; sed in quibusdam exemplis citiùs contingit ejus accessio; in aliis, e contrariò, ante quintum vel sextum, vel etiam decimum quartum diem haud impetum facit. Morbum interdum ante partum, vel eo tempore ingruere nonnulli * existimaverunt; sed hae sententiae nullis argumentis firmis niti nobis visae sunt.

* Clarke Eblanen.

Haec febris aliquando insidiosè aggreditur, sed plerumque sensu rigoris serpit, qui gradu et spatio temporis in diversis aegris differt; in aliis autem per horae spatium perstantis vixque minoris, quàm qui febrem intermittentem comitatur; in aliis vero ita levis est, ut vix aut ne vix quidem percipi possit, et attentionem astantium etiamque aegrae ipsius toto fugit.

Huic succedunt calor magnus, inquietudo, faciei rubor, vultus anxius, et pulsus frequens, qui aliquando plenus atque durus est, saepius autem exiguus et debilis. Ab ipso morbi initio, aegra conqueritur de anxietate et circa praecordia oppressione, caeterisque symptomatibus febres alias comitantibus; quibus sudor profusus succedit, symptomata paululùm mitigans. Praeter haec, alia morbo propria sunt; dolor abdomen fere totum occupans, adeoque ingravescens, ut aegra sub levissimo tactu, vel etiam pondere stragulorum graviter doleat, interdum quoque a lumbis usque ad femina descendens. Jam usque a morbi initio sinciput supra supercilia dolet; simulque fere semper

vexant vertigo, nausea et vomitus; superveniente autem diarrhoeâ, plerumque cessant. Respiratio celeris fit, non ex quovis pulmonum thoracisve vitio, sed e timore, ne abdominis dolor, detruso septo transverso et contractis abdominis musculis, contra inflammatam peritonaei partem viscera comprimentibus, plurimum augeatur. Tussis molesta, morbo etsi aliena, aegram saepe infestat, praesertim si inflammatio ad thoracem extendat. Lingua plerumque albida et humida, interdum lineâ rubrâ bipartita, sed rarò sordida est. Calor idem haud manet; sed in universum parum augetur. Cutis plerisque in exemplis aret caletque; sed interdum totum corpus sudoribus lenibus et incertis, aegrae tamen levamen quoddam afferentibus, humidum fit. Sitis plurimùm urget, et potus, praesertim acidi, desiderium adest. Vomitus doloris accessionem fere semper subsequitur; interdum vero ipsi praecedit. Primò subviride vel subflavum fluidum per vomitum ejicitur; postremò, vero, haud coffeae sedimento absimile. Ineunte morbo, alvus adstricta, sed plerumque facilè sol-

venda, et supervenit diarrhoea; faeces haud naturales, sed gravissimè olentes, postremòque dejecta materies evomitae similis fit. Urina parca et coloratissima est, et dysuria interdum vexat; sed, superveniente diarrhoeâ, levatur. Ad primum febris impetum, lochia tam ad quantitatem, quàm ad qualitatem, naturalia sunt; brevi vero tempore plerumque minuuntur, vel penitus evanescunt: attamen in pluribus casibus per totum morbi decursum imminuta manent. Si lactis secretio ante morbi accessum naturalis sit, citò supprimitur; et mammae molles flaccidaeque fiunt. Sanguis detractus, et jam concretus, superficiem coriaceam albam semper ostendit, sicuti in omnibus aliis morbis, qui phlegmasiae appellantur. Delirium vix unquam supervenit, nisi in ultimo morbi stadio. Si hoc morbi tempore symptomata non cohibeantur, vires maximè prosternuntur, et medicus optimam ejus aegrae medendi occasionem amittit. Omnia symptomata in violentiâ augentur, pejora fiunt ruuntque. Si aegra nimis calida custoditur, tum saepius eam obruit sudor profusus, qui in miliariam,

nonnunquam sed rarius petechias, citò desinit. Lingua fusca seu sordida fit; vomitus et diarrhoea augentur. Morbo hoc ordine modoque progrediente, respiratio difficilis, laboriosa, et celeris fit; et pulsus tam frequens ut vix aut ne vix quidem numerari possit. Dolor abdominisque tensio minuuntur; et postremò, subitò prorsus cessant. Faeces et urina invitè dejiciuntur. Sudor glutinosus faciem et extrema occupat, et mors aegram e vivis citò abripit. Quum morbus letho solvatur, interdum tam rapide progreditur, ut aegra intra horas viginti quatuor corripiatur. Quibusdam autem in casibus, aegra non nisi ad tertiae hebdomadis finem morbo succumbit. Tempus resolutionis faustae etiam valde incertum est, multisque ex rebus pendet. Si post morbi impetum, medicinae citò nobis confugiendum est, plerumque cohibetur, et intra duos vel tres dies saepe prorsus cedit. Si vero remedia morbo idonea haud protinus administrentur, morbus per sex vel septem dies, sed raró longius, progreditur. Talia phaenomena in universum exhibet puerperarum febris; quae ob aegrae constitutionem,

morbi violentiam, et impetus tempus, multum nihilosecius variari possunt.

Ex historiâ supra memoratâ, fas mihi videtur opinioni Domini Hey sequenti, circa symptomata pathognomonica, assentiri: "Fever in "childbed, accompanied with pain, which has "no complete intermission, and extreme sore-"ness of the abdomen." Huic dolorem capitis, supra oculos praecipuè pungentem, addere liceret. Utcunque auctores de morbi naturâ aliter sentiunt, vel quascunque varietates denotant, haec symptomata in ejus descriptione semper enumerantur.

CADAVERIS SECTIO.

Plurimi scriptores de hoc morbo eadem phaenomena morbida post mortem descripserunt. Abdomine inciso, quod plerumque tumidum, sed modo depressum est, aër foetidissimus erumpit. Pars quaedam peritonaei plus minusve inflammatione semper afficitur; omentum prae-

sertim, quod aliquando vel suppuratione vel gangraenâ laborans compertum est. Liquoris serosi copia magna, et particulae materiae lympham coagulatam referentes, in abdomine innatantes et intestinis adhaerentes inveniuntur, et in medici verbis inclyti, "they are found uniting them together into a mass, so that it is difficult, by dissection, to disunite one turn of intestine from the other *."

Si Denman, Leak, Hulme, Home, et Gordon opera adeamus, non solùm peritonaeum et omentum inflammatione esse obducta, verùm etiam ventriculum, mesenterium, intestina, uterum et illi adhaerentia, vesicam, jecur, pleuram et pulmones quidem, omnes singulos et conjunctos, plus minusve inflammatione laborâsse, inveniemus.

Adhuc restat ut de liquoris hujus analysi chemicâ disserere pergam. Et hoc quidem in nullis verbis perspicuis magis, vel potioribus, quam Doctoris Pearson fieri potest, qui dicit, "When first delivered to me, it was "a cream-like fluid, of a yellowish cast, and

* Dr Monro *junior*, Morbid Anatom. p. 248.

"had a very strong fleshy smell, like that of "meat, which has been kept several days; "but was not at all foetid. After standing a "few hours, a deposition took place of a very "copious, opaque, and somewhat curdy fluid, "from a brown and almost clear fluid. The "brown fluid and sediment being thrown on a "filtre of three folds of paper, about seven-"eighths of the whole fluid passed through slow-"ly, leaving on the filtre a very thick, yellow-"ish, and somewhat curdy matter. The above "cream-like fluid appears to be a mechanical "mixture of, in appearance, a slightly coagu-"lated matter, and a fluid-like serum, in many "properties, in the proportion of one part of "the former to sixty-three of the latter. But "as to the difference in qualities between this "seemingly coagulated matter and the coagu-"lable lymph of the blood and lymphatics, "caseous matter, pus, mucus, and other animal "mucilages, we cannot distinguish them with-"out farther experiments *."

* Clarke's Practical Essays.

CAUSAE.

De causis puerperarum peritonitidis multùm inter medicos disputatum est; nam de illis adeo dissentiunt, ut quae huic causa proxima, illi praedisponens tantùm, alteri verò morbi indicium esse videatur; quia, ut Professor noster celeberrimus Gregorius elegantissimè notat, "morbus "non est unus et simplex eventus vel mutatio, "qualem in rebus inanimatis contemplari sole-"mus, et effectum vocare; sed series, saepe lon-"ga, talium eventuum vel mutationum; qua-"rum aliae aliis causae videntur esse." Et iterum, "Symptomata vel morbi indicia, alia alia "producentia, prima ab ipsâ morbi causâ pro-"venientia." Primò de illis causis loquar, quae remotae dicuntur, et in praedisponentes et excitantes disjunguntur. Inter causas praedisponentes enumerantur mentis affectus, tam deprimentes quàm excitantes, functiones corporis maximè turbantes, praesertim animi dolor,

luctus, terror, metus, pudor, solicitudo, moestitia, &c. Hinc accidit ut celeberrimus LEAK notat, puellas viro maturas, et sacra conjugii jura non manentes, veneri autem privatim sese devoventes, indeque gravidas factas, dedecus et infamiam expectare, huic morbo maximè proclives esse. Quod ad aetatem et corporis habitum attinet, nihil comperti habemus. Corpus quoque praedisponi dicitur cibi nimiâ copiâ conditi, vitâ otiosâ et sedentariâ, stimulantium usu, et post partum nimis arctâ compressione. Quodcunque etiam corpus exile reddit ex praedisponentibus est, ut cibus parum nutriens, exercitatio vehemens, somnus nimiùm longus vel brevis, frigusque corpori admotum. Neque sentire non possum, praedispositionem alvi astrictione magnopere auctam esse, quae fere semper parturitionis tempore evenit, omnino neglectâ, praesertim quum bene notum fuerit, alvum diu astrictam morbos organorum digestionis fere excitâsse, et per eos totius generis nervosi perturbationem, et morbos denique locales vel generales *. Cùm febris puerperarum multò fre-

* Vide Opera Chirurgica Abernethy.

quentior uno quam in alio tempore est, quidam medici clarissimi causam ejus ad aëris quandam constitutionem epidemicam esse referendam existimârunt. Obstat, autem, huic sententiae, frequens ejus aut epidemica vis in quâdam regione, aut urbe, dum regionibus et urbibus vicinis, vel aliis ejusdem oppidi partibus, abest. Multae diversaeque theses ad morbi hujus causam excitantem explicandam fictae sunt; veteres auctores * quidem ad lochiorum retentionem vel suppressionem, recentiores † autem ad lactis translationem retulerunt. Hae autem theoriae futiles et haud accuratae sunt; nuperâ enim observatione satis compertum habemus, ut jam antea diximus, lochia saepe per totum morbi decursum profluere, etiam lactis secretionem impeditam, non ante, sed post morbi accessionem evenire. Lactis igitur, et lochiorum diminutio vel suppressio pro morbi effectibus, non pro causis, habenda est. Multi ‡ morbum nostrum ex inflammatione omenti et intestino-

* Hippocrates, Galen, Sennertus, Mercatus, Forestus, &c.

† Van Swieten, Willis, Doulcet, Doublet, Puzos Levret, Sydenham, Mauriceau, &c.

‡ Hulme, Leak, Delaroche, &c.

rum profluere putârunt; adjicientes tamen, inflammationem produci vel ab uteri inter graviditatem pressurâ, et musculorum abdominis septique transversi contractione, vel ab eâ pressurâ post partum subitò remotâ. Si talis vera morbi causa esset, inter puerperas multò frequentior esse debet. Haec enim, notandum est, puerperis omnibus communia adesse. Si inflammatio quoque ab uteri inter graviditatem pressurâ penderet, multò frequentior ante quàm post partum, ob majorem, tunc temporis, pressuram, inveniretur; hoc autem nunquam accidit; et quomodo hujus theoriae defensores naturam morbi contagiosam explicant? mulieres enim, quae eâdem obstetrice usae fuerunt, morbo tantum affectae sunt; dum, contrà, quae aliis ministris fortunatè usae, etiamsi in eodem oppido degentes, effugiunt.

Mulieres huic morbo nunquam, nisi post partum, obnoxiae sunt. Experientia, igitur, constat, id inter causas excitantes puerperium jurè meritòque sibi locum vindicare. Haud desunt qui * opinati sunt, puerperarum perito-

* White, Walsh, Clarke.

nitidem inter et typhum nullum interesse discrimen; et certè quod ad symptomata attinet, quaedam morbo utrique communia adesse minimè negatur. Quaedam differentiae, tamen, satis notabiles inveniuntur. Sensorii conditio quam maximè differt: in typho "sensorii functiones plurimum turbantur;" in puerperarum peritonitide autem sensus interni, usque ad mortem instantem, immoti fere et imminuti manent. Citatiore etiam cursu febris puerperalis ad finem tendit, quam typhus plerumque solet; et multò minus lethalis haec quam illa grassatur. Gignitur nunquam contagione typhus in nutricibus, quae puerperas curare solent, et contagioni ejus solae patent puerperae. In typho nullus peculiaris propriusve abdominis cruciatus adest. Typhus verus, a contagione evidente ortus, puerperas aliquando invadit, absque puerperarum peritonitidis signis pathognomonicis. Hujusce rei exemplum luculentissimum memoriae traditur a celeberrimo Kirkland, verbis sequentibus: "A young "woman had very lately, as I was informed, "an extreme good time of her first child, but

" she was unfortunately put into a bed, out of " which her sister, my patient, had been re- " moved, who had long lain ill of a slow ner- " vous fever. If we except her not having a " stool, she went on very well for five or six " days; the lochia being properly discharged, " she slept well; and her breasts were proper- " ly filled with milk. But, about the conclu- " sion of this period, probably when the mias- " ma received from the curtains and bed- " clothes began to take effect, she complained " of pain in her head, was feverish, and her " fever increasing with want of sleep, I was " desired to see her on the eighth day of her " lying in. I then found her in a hot sweat, " with an excessive quick pulse, and exactly " with the same kind of symptoms which ac- " companied her sister's fever. A clyster was " immediately given with good effect; other " remedies were ordered; and her breasts " had been and still continued to be carefully " drawn, till they became flaccid from milk " not being secreted; but the parents of the " woman having lost another daughter in child-

" bed, were firmly persuaded this would die al-
" so. Thus she continued in the same bed,
" remedies were entirely neglected, she soon
" became delirious, and did die on the twelfth
" day after her delivery; but she had neither
" diarrhoea, pain, soreness, or swelling in any
" part of the abdomen, though the lochia en-
" tirely stopped on the second day of the fe-
" ver *."

Tredecim hujusmodi exempla aequè perspicua et manifesta Clarke † Dublinensis a se visa enumerat.

Nonnulli ‡ febrem puerperarum nihil aliud quam inflammationem uteri existimârunt; sed inter hysteritidis symptomata et puerperarum febrem magnum discrimen est, ut in diagnosi statuendâ mihi observandum erit. Sententia Doctoris Young §, olim obstetricae artis professoris in hâc academiâ, et aliorum ‖ fuit, puerperarum febrem ejusdem naturae ut erysipelas esse. Sed nunc hanc opinionem diutiùs non tenent, et res circumstans horum duorum morborum eodem tempore et in eodem nosoco-

* Kirkland, Case xvi.

† Med. Commentaries, vol. xv.

‡ Hoffman, Denman, Johnson.

§ Encyclop. Britan. vol. iii.

‖ Doctor Hamilton Praelect.

mio aggredientium adventitia existimanda est. Sunt qui opinantur *, febrem puerperarum a verâ peritonaei vel omenti inflammatione in statu puerperali distingui posse; sed mihi fas videtur, hos duos morbos varietates tantùm morbi ejusdem, et non genera diversa, esse considerandos. Morbo nostro propagatio per contagium inflammatione locali stipatum, minimè est propria, utpote ejusdem rei cynanche maligna et ophthalmia Aegyptiaca praeclara praebent exempla.

Omnibus auctorum sententiis supra enumeratis consideratis, jurè meritòque nobis concludere licet, puerperarum peritonitidem morbum esse primariò verè inflammatorium, citò autem putridum devenire.

DIAGNOSIS.

Febris Puerperarum cum febre lactis, doloribus partui succedentibus, colicâ, hysteritide,

* Clarke, Thomas.

febre miliariâ, cholerâ, ephemerâ et enteritide confundi potest.

In febre lacteâ dolor et tensio abdominis absunt; mammae glandulaeque axillares flaccidae sunt, tumescunt, dolentque, et symptomata omnia mitiora sunt.

Dolores partui succedentes nullâ fere stipantur pyrexiâ, et per intervalla intermittunt; in his etiam abdomen manu tactum parum dolet.

Colica, pressurâ dolorem abdominis minuente, pyrexiâ absente, dolore circa umbilicum praecipuè torquente, et alvo pertinaciter astrictâ, distinguitur.

In hysteritide, pulsus valdè durus, cutis maximè calida, et aegra dolore ardenti pulsatilique in regione tantum uteri turbatur; at in febre puerperarum dolor plus minusve per abdomen universum * patet: porro in illâ, lochia fere semper subitò supprimuntur, quod nunquam in hâc accidit; tactu quoque os uteri in hysteritide dolet, et delirium citò invadit.

Sudor profusus, odor ejusdem acidus, et cu-

* Baillie, p. 387.

tis sensatio pruriens, quae eruptionem miliariam antecedunt, hos morbos satis distinguunt.

Cholera, pyrexiae et doloris abdominis absentiâ, torminis, musculorum partium extremarum spasmo, et praecipuè vomitu et diarrhoeâ profusâ dignosci potest.

In ephemerâ paroxysmus brevior est, et in sudore profuso citò terminat; dolor abdominis eam a febre peritonitide distinguit.

Inter enteritidem et febrem puerperarum difficilior fit diagnosis. In illâ quidem dolor supra orbitas abest; abdominis etiam dolor circa umbilicum praecipuè torquet; delirium citò evenit; et alvus pertinaciter obstipatur. In hâc, autem, alvus facilè solvenda est.

PROGNOSIS.

Morbus fere nullus, praeter pestem, cui a quibusdam * collata fuit, tam funestus est quam febris puerperalis. In nonnullis exem-

* Hulme, &c. p. 29.

plis, quibus indicia faustissima sunt, prognosin nostram cautè dari oportet; quod aliquando remissiones fallaces in hoc morbo apparent. Multò magis lethalis in nosocomio esse dicitur, quàm in aedibus privatis. Periculum plerumque doloris gradui, abdominis tensioni, impetus tempori, organis vexatis, symptomatum febrilium violentiae, et animi corporisque conditioni ante partum respondebit. Quò citiùs morbus a partu invadit, eò vehementius timendus est. Si diarrhoea lenis maturè superveniat, vel medicamentis inducatur, pulsu eodem tempore tardiore et pleniore facto, cute et linguâ humescentibus, dolore et tensione abdominis diminutis, fausta et saepe critica est. Spiritus facilis, urina sedimentum deponens, et aegra in lecto sese convertens, inter bona indicia recenseri possint. Lochiorum et lactis recens eruptio, si omnino utraque suppressa fuerit, vel tantùm diminuta, optimum omnium est. Periculosum e contrariò est, si alvus, ante morbi impetum, tarda, et mens dejecta fuerit.

Quantò major sit dolor, quantòque major sit abdominis tensio, tantò periculosior morbus.

Si diarrhoea, morbo celeriter et graviter invadente, non superveniat, vel a medicamentis non inducatur, et faeces nigrae foetidaeque sint, indicium infaustissimum est; praesertim, si aegrae vires frangi videantur, pulsus debilis sit et frequens, et abdominis tensio haud diminuatur. Cessatio doloris subita, vigilia haud intermissa, vultus color pallidus vel lividus, vomitus materiae kuphae sedimentis similis, dejectiones sine voluntate, pulsus tam frequens et debilis ut vix percipi possit, subsultus tendinum, sudores gelidi et glutinosi, maculae aeruginosae super cutem, et animus a nullis rebus externis excitatus, brevi tempore mortem praemonent.

RATIO MEDENDI.

Medici fere omnes, de remediis quorum usu hanc febrem se curaturos sibi pollicentur, missione sanguinis exceptâ, consentiunt. Sed recens experientia nos, ni fallor, docet, venaesec-

tionem plus prodesse, quam omnia alia remedia, si modo tempestivè et copiosè adhibeatur. Opinor autem nil aliquando prodesse, quia eâ vel serius vel parcius utuntur.

Effusione jam factâ, sanguinem mittere, quoniam ad debilitatem augendam valeat, certe multùm nocere potest. Hinc videndum est, quantâ prudentiâ vel solertiâ in curatione adhibendâ opus esse. Medici * clarissimi fere omnes in ejus utilitatem consentiunt, et praeterea ratio ipsa ad inflammationem depellendam necesse esse docet, quae huic morbo nunquam non adest. Pulsus frequens et debilis multos a venaesectione deterruit. Benè autem intelligitur has pulsus affectiones ab oppressione, non debilitate oriri; nam, dum sanguis detrahitur, pulsus tardior atque plenior fit, doloris abdominis et omnium aliorum symptomatum remissione succedente. Interdum, in aliis morbis, sanguinem etiam largius et saepius mittere oportet, quamvis pulsus parvus et debilis sit, veluti in quibusdam viscerum abdominalium,

* Denman, Leak, Hulme, Gordon, Armstrong, Hey, aliique plurimi.

praesertim ventriculi et intestinorum, inflammationibus ; nam, ut LEAKIO probè dicere visum fuit, " there is great difference between nature " oppressed and nature exhausted."

In casibus dubiis, quales satis frequenter occurrunt *, sanguis cautè mittendus est, et quantitas solummodo augenda, si pulsus, sanguine fluente, mollior et validior evadat. Sin autem pulsus debiliores, frequentiores, et abnormes fiant, venaesectio adeo non prodest, ut etiam noceat, protinusque supprimenda. Opinantur quidam, velocitatem symptomatum putrefactionis sanguinis missionem prohibituram ; sed sanguinis detractione tempestivè adhibitâ, nulla putrescentiae signa unquam sese monstrare possunt. Hoc enim curandi modo, signa suppurationis et gangraenae, quae mortem antecedunt, prorsus praecaventur.

Sanguinis copia missi, viribus aegrae, morbique violentiâ, regenda est. Sin autem vires admodum prostratae sunt, sanguinis missione

* In the treatment of puerperal fever it will sometimes be found a point of great difficulty to determine with precision, whether a vein should be opened or not. Armstrong, p. 75 and 76.

topicâ, veluti scarificatione, vel hirudinibus, uti multum tutius erit.

Omnes apud medicos jam constat purgationem semper esse necessariam; et pluribus in casibus, quum morbus violentiâ non multum progressus fuerit, cathartica venaesectionem supervacuam reddere possunt *. Calor externus supra modum corpori haud admovendus, aërque ambiens cubiculo semper liberè admissus est. Refrigerantia etiam, ut acida vegetabilia, sales neutrales, fructusque maturi, ad violentiam febris mitigandam quam maximè conducunt.

Praeter remedia jam dicta, multa alia ex usu veniunt medicamenta, quorum alia curare, alia mitigare, alia vero *specificè* mederi (ut putent) fuere administrata. Specificorum sunt ipecacuanha et oleum volatile pini purissimum. Ipecacuanha ab Doulcet fuit exhibita, et de administrandi modo in sequentibus narratur verbis: "M. Doulcet, présent un jour au moment "même où un femme, nouvellement accouchée,

* Having been accustomed to treat puerperal fever solely by active purging, I can speak decisively in favour of that mode of practice. Vide Mr J. Wolf's Letter. Armstrong Appen.

" ressentit les premieres atteintes de cette ma-
" ladie, qui débuta chez elle par des vomisse-
" mens, suivit promptement l'indication qui se
" présentoit ; la fit vomir à l'instant avec quinze
" grains d'ipecacuanha, qui lui furent donnés
" en deux doses; répéta le vomitif le lendemain,
" ayant alors observé une rémission notable
" dans les symtômes ; soutint les dejections
" que cette second dose procura, par une potion
" huileuse, avec addition de deux grains de
" kermés minéral; prévint ainsi le dépôt, qui
" menaçoit de se former, et il sauva la mala-
" de*." Successu tam magno haec ratio medendi stipata fuit, ut centum nonaginta quinque puerperae, quae eâ utebantur, convaluerunt; dum, contrà, quinque vel sex, quae huic remedio repugnabant, morti occubuere. Verisimilius tamen est, remedium fuisse laudatum sine viribus ejus curandi justè probatis, casusque curatos fuisse ephemerae formas; nam in stadio frigido, quis alias febres ab aliis dignoscere possit? Praeterea in hâc insulâ experientia efficacem eam non confirmavit. Emetica

* Rapport fait par ordre du gouvernement de fievre puerperale.

valdè auxiliari possunt, si aegra primò fuit purgata et sanguis liberè detractus; praesertim, abdominis dolore non urgente, et nauseâ et vomitu perpetuo comitantibus. Oleum terebinthinae vero ab ℥ſs ad ℥j pro dose a Doctore Brennan, Eblanensi, multùm fuit laudatum, catharsin plenam plerumque inducit, et effectus boni haberi possunt eo, quod tantum efficax erit, quo magis minusve purgaverit, et nullâ vi specificâ hunc morbum curandi praeditum est.

Fomenta abdominis parti dolenti saepe admota plurimum prodesse solent; partes scilicet relaxando, doloremque leniendo. Epispastica abdomini applicata utilia fuere aliquando comperta; sed morbo incipienti sunt adhibenda, etenim si multò serius administrata, irritationem excitando morbi violentiam augent, haud minuunt.

Enemata e nicotianâ tabaco confecta, a nonnullis multùm sunt adhibita et laudata; sed si unquam, certè maximâ curâ et cautione sunt exhibenda; namque remedia sunt tam valdè sedantia, ut vim vitalem citò extinguere queant.

Enemata emollientia et laxantia mitiora, prout occasio requirat, administranda sunt.

Digitalis inter remedia ad hoc malum curandum recensetur, et quidem utilis esse possit, si vires aegrae, effusione jamjam factâ, haud succubuerunt.

Si a remediis supra memoratis nullum afferatur symptomatum levamen, et si aegra viribus defecta langueat, omnia tunc temporis in putredinem ruere timendum est. Aegrae, igitur, vires sustentare, et proclivitatem ad putredinem corrigere, vini, potionumque cardiacarum usu, pulvere corticis peruviani, opio, stimulisque aliis, necesse est.

Haec sunt remedia quae memoratu dignissima sunt. Attamen, ut mihi videtur, haud sine discrimine adhiberi debent; sed secundum febris impetum, aetatem viresque aegrae, et alia quae sagacis in animo medici semper versantur.

FINIS.